

Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiae, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Dsic. XII. Theatina renovationis emphyteuticæ. Quando dominus teneatur
invitus renovare, & an renovatio fieri possit adhuc durante investitura, De
emphyteuta ingrato; Et de melioramentis, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

THEATINA
RENOVATIONIS
EMPHYTEUTICÆ
PRO
JULIO ET ANTONIO
DE
VALIGNANIS
CUM
FRANCISCA ANTONIA
ETIAM
DE VALIGNANIS.
Casus extrajudicialiter discussus in Capitulo S. Petri.

Quando dominus teneatur invitatus renovare, & an renovatio fieri possit adhuc durante investitura de emphyteuta ingrato, & de melioramentis vel expensis litium emphyteutæ per dominum reficiendis. Renovatio cui potius in concursu debeatur, & an agnatus teneat eam recipere cum conditionibus oblatis ab extraneo, vel remotoire.

SUMMARIUM.

- 1** Acti series.
- 2** F Renovatio fieri potest adhuc durante investitura de consensu ultimi.
- 3** Secus absque dicto consensu, & de ratione.
- 4** Capitu um nunquam moritur, sed semper est unus & idem, & si omnes Canonici illud constituerentur.
- 5** De renovatione debita proximiori morientis.
- 6** Quis in proposito dicatur proximior.
- 7** Renovatio est species successionis, ideo danda ei, qui esset successurus ex investitura si duraret potius quam in successibili.
- 8** Renovatio debetur proximiori cum eisdem conditionibus ab alio oblati, & sic prelatio in pari causa.
- 9** Declaratur.
- 10** Emphyteuta ingratuus cadit ab omni iure.
- 11** Et ingratus non habet ius petendi renovationem.
- 12** Aliud declaratio conclusionis, de qua num. 8. favore meliorantis.
- 13** Quomodo melioramenta & beneficia in proposito sint consideranda.
- 14** Quando feudatario vel emphyteute refici debeant expensalitium, & quid de fideicommissario.

Thomas de Valignanis

Scipio

Jo. Felix

Scipio, Horatius, Octavius, Camillus, Jo. Felix	Francisca Antonia
Julius	
Antonius	



DISC. XII.

Ona, de quibus agitur usque ab anno 1505, per Abbatem S. Salvatoris concessa fuerunt in emphyteutam ad tertiam generationem Thome sub anno canone scutorum decem, atque unita postmodum Abbatia insigni Capitulo Basilicæ Vaticanae, ab isto de anno 1584, concessa fuerunt Joanni Feliciori ad tertiam generationem masculinam sub canone ducatorum 20.

Ex dicto Joanne Felice orti fuerunt quinque filii in praeserta arbore descripti, ad quorum duos, nempe Camillum, & Jo. Felicem juniores in divisione obvenerunt, defunctoque Camillo superstibus tantum filiabus, istius portio devenit in Joannem Felicem, excluso Julio Scipionis prædefuncti filio, ex motivo cessantis representationis in emphyteusi, ut confit apud Capyc. Latr. dec. 126. lib. 2. in ista causa edita, ubi latè tractatur materia representationis non admittenda in emphyteusi.

Effectus Joannes Felix junior dominus dictorum per annos 12. antè mortem, negare cœpit dominium Capituli, tam per actus negativos non solutionis canonis, quam per positivos introducendi exercitium jurisdictionis, & cerandi bona reputari feudalia sub dominio Principis secularis; Et quavis Capitulum contrâ eum in Registris tribunalibus item suscepisse, eam tamen, vel prosequutus non fuit, vel sospire non potuit.

Sequuto præfati Jo. Felicis obitu, superstite Francisca Antonia filia, cum successio in dictis bonis, juxta legem investituræ, aperta esset Julio unicó superliti masculo ex tertia generatione Joannis Felicis senioris primi acquirentis, Francisca Antonia, prosequendo paternam consumaciam, negavit Capituli dominium, & emphyteuticam qualitatem, substituendo bona esse feudum laicale, unde Julius diuturnam item in variis Regis tribunalibus spatio annorum novem cum magna impensa scutorum 5000. & ultra substituit, ac demum à tribunalí Regia Camera obtinuit declarari bona esse alledia, & successivè dominium Capituli canonizari.

In hoc statu, terminante investitura cum vita dicti Julii tertiam generationem constituentis, supplicavit Capitulo Antonius Julii filius pro renovatione, cum augmento canonis ad scuta 50. cui se opposuit dicta Francisca Antonia, petens investitram oblatu majori canone scutorum 75. unde dubitabatur, cuinam, tam ex lege rigorosa justitia, quam ex lege convenientia, honestatis, & Ecclesiastica pietatis dicta concessio facienda esset; Et pro Antonio dicebam omnino respondendum, quamvis adhuc prima concessio duraret, quia de consensu ultimi investiti, recte fieri potest renovatione effectum fortitura post ejus mortem ad text. in cap. 1. vers. sed sille, qui successoris feudum dare tencantur cap. 1. §. omnibus si de feud. fuerit controv. inter Dominum & Vasall. Bal. conf. 431. numer. 6. lib. 2. bene Rota in Callien. bonorum 24. Ianuarii 1648. coram Melito §. neque obstat circa finem dec. 143. p. 10. rec.

Atque in hoc differre dicebam Antonium, & Franciscam Antoniam, quia primo habenti consensum ultimi investiti, poterat ex nunc fieri renovatione, quæ tamen fieri non posset alteri dictum consensum non habenti Bal. ubi supra, idque non ex ratione in hujusmodi præventivis concessionibus aliqui-

aliquibus considerari solita supplantandi successorem, quæ non datur in Capitulo, cum semper sit unum & idem, etiam omnes primi Canonici moriantur, unde Capitulum non dicitur habere successorem, quia nunquam moritur, ut optimè Bal. dicto conf. 43. n. 7. Calderin. conf. 21. de praben. Merlin. dec. 662. num. 65.

Sed ex alia viva ratione, quod cum Ecclesia nolente pro se retinere, renovatio ex lege iustitiae debita sit proximiiori ut infra, idcirco illa proximitas attendenda est de tempore mortis ultimi investitii, cui fieret iuria concedendi ipso invito renovationem alteri, quia potest interim alterum habere proximorem, cui pariter iuria, & prajudicium fieret juxta terminos text. in l. cum pater 9. à filia ff. deleg. 2. ubi Bart. Alberic. Io. de Imol. & ceteri Roman. cons. 452. per tot. Molin. de primogenit. lib. 2. cap. 2. numer. 23. & seqq. plenè Rota decis. 263. num. 1. & seqq. p. recent. Et sic rectè agi poterat de concessione Antonij habentis dictum consensum, non autem de illa adversariæ, quia non adhuc venerat casus devolutionis.

Verum etiam si casus evenisset, adhuc Antonio, rejecta penitus dicta oppositrice facienda veniebat concessio de ratione iustitiae, quia ubi Ecclesia non vult, vel ex consuetudine non potest pro se retinere, & non agitur de emphyteusi hereditaria, sed ex pacto & providentia, renovatio facienda est proximiiori, quia si potest appellare ac petere per iudicem ex iustitia sibi faciendam esse, glof. & Bar. in l. 1. §. permititur ff. de aqua quotid. & astra Gabr. de jure emphyt. con. luf. 1. numer. 1. Marescott. lib. 1. var. cap. 3. numer. 1. & seqq. Fulgin. de emphyt. tit. de renovat. quest. 1. num. 1. & seqq. qui ait ad societatem cumulant Rot. dec. 60. par. 5. rec. dicta Gallien. bonorum 8. Aprilis 1647. & 24. Ianuarii 1648. Meltio 46. & 143. par. 10. rec. & sibi, quia est hodie propostio plana, de qua ex professo in Forolivien. hoc eod. tit. disc. 3.

Proximiior autem dicitur ille, qui magis approximat ultimo investitio, per cujus deficiemtiam experit investitura, Gabr. ubi supra num. 27. Marescott. dicto cap. 3. num. 28. Fulgin. dicta quest. prima num. 51. & tit. de successi. in bon. emphyt. quest. 2. num. 9. & 10. cum aliis dicta Forolivien. Unde cum ultimus investitus sit Julius, cuius Antonius est filius, oppositrix vero esset consobrina distans quartu gradu civili per transversum, proximitas Antonii erat indubitate.

Quinimò etiam si essent pari gradu proximitatis, cum emphyteusis esset masculina, solus sexus vincere debebat, quia feminæ hujusmodi renovationem unquam sperare possunt, nisi in totalem defensionem masculorum, ut plenè in dictis Callien. coram Meltio, ubi concordantes, quia est propostio indubitate, renovatio enim est species successionis idè danda eis, qui essent successuri ex deductis, in dicta Forolivien. dec. 3.

Neque obstat dicebam unicum objectum, quod hujusmodi jus petendi renovationem competet proximiiori cum illis conditionibus, quæ periuntur à remoto vel ab extraneo Gabr. dicta conclusa prima num. 28. Marescott. dicto cap. 3. num. 24. Fulgin. de renovat. dicta quest. 1. num. 53. & tit. de contract. emphyt. quest. 22. num. 25. & seqq. bene dec. 360. par. prima divers. num. 5. & per tot. dec. 201. num. 34. par. 7. recent. & in aliis, Unde cum dicta oppositrix offerret canonem scotorum 75. & solutionem omnium canonum decurorum, videbatur catenus Antonio deberi prælationem, quatenus easdem

conditiones offerret; Hoc enim objectum tolli diccebam ex pluribus, quorum unum sufficiebat habere subsistentiam, cum tamen omnia subsistere viderentur.

Primo, quia id procedit in illis oblationibus, quæ bona fide, ac pro solo motivo iustitiae commutative fiunt per extraneum, non autem quæ ab inimico fiunt ad æmulationem, & vindictam, quia cum Ecclesia sit cultrix & mater iustitiae, curare debet suam justam & rationabilem utilitatem, nè laudatur, non autem fovere æmulationes, & vindictas Caroce, casu seu decis. 99. Redoan. de reb. Eccl. non alien. quest. 20. num. 7. Quaranti. in summa Bullar. verò alienatio rerum Ecclesie sub num. 11. Fulgin. de emphyt. tit. de contract. emphyt. quest. 22. num. 31. Evidens autem ac indubitate erat causa odii & vindictæ ob acerrimam ac longaviam item inter illas partes habitu at supra.

Secundo quia emphyteuta ingratus negans dominum sui auctoris, & beneficioris, cadit ab omnijure, atque indignus est quacumque renovatione, vel alio beneficio, ut de caducitate incurrenda etiam durante investitura, veriore latè probat Fulgin. alios cumulans in tit. de variis caducitatibus quest. 5. num. 4. & seqq. Et in specie renovationis non concedenda emphyteusa culpo vel ejus proximiiori Handed. conf. 32. num. 10. & seqq. & num. 15. vol. 2. Riminald junior. conf. 257. num. 101. Marescott. dicto lib. primo var. cap. 2. num. 10.

Major autem canonis oblatio per dictam oppositricem erat potius ad supplendā, seu compensandam propriam indignitatem, quam ex bona fide ad faciendam Ecclesiæ utilitatem, idèque hujusmodi vasallos, qui legaliter loquendo, tanquam felones & ingrati redduntur indigni gratiis & beneficiis domini, admittendos non esse dicebam in concursu fidelis & grati cum solo motivo augmenti canonis.

Atque ut historie & traditiones docent, per Secdem Apostolicam rejecta fuerunt majores, ac etiam excessiva oblationes factæ per Conradum & Manfredum felones, Ecclesiæ dominium in Regno Sicilia citra Pharam negantes, sed cum longè minori præstatione concessa fuit investitura Carolo Andegavensi, cum pluribus similibus, quæ deduci potuerint, nisi alia tunc premerent confuerant temporis penuriam in Ad vocatis Curiaz productientia.

Tertiò clarius, quia conclusio prædicta, ut agnatus petens renovationem teneatur offerre idem, quod ab alio reperitur, cessat ubi emphyteutæ prædecessores, quorum successores petunt renovationem, bona meliorarunt, vel alias bonificarunt, quia tunc habenda est ratio melioramentorum & beneficiorum, atque ipsorum estimatione considerata regulanda est proportio utilitatis, idèque tali casu non debet qualis esse conditio agnati & extranci, Ripa in l. 1. nn. 13. & 14. ff. de privil. cred. Gabr. de jure emphyt. dicta concl. 1. n. 28. Fulgin. de contract. emphyt. quest. 9. n. 9. & tit. de renovat. quest. 1. n. 54. Rot. dec. 360. n. 5. & 6. par. 1. divers. ubi solū limitatur, nisi dominus offerat solvere estimationem beneficij vel melioramenti; Quinimò neque tali casu posse Ecclesiam pro se retinere, sed debere renovare de necessitate firmavit Rota in Peruina bonorū 9. Maii 1653. coram Meltio 9. præterea, ubi concordantes.

Melioramenta vero & beneficia in proposito consideranda, non dicuntur solum ea, quæ consistunt in reducione re sterilis ad culturam & fertilitatem, sive in plantationibus & adficiis, quæ multa supponebantur facta per majores Antonii, ita ut status bonorum esset notabiliter immutatus, sed

sed etiam illa, quæ consistunt in expensis litium factis pro eorumdem bonorum recuperatione vel defensione, ab illis qui occupare volebant, cum perpetuo domini præjudicio, prout erat in casu, in quo li substantata per Julium respiciebat perpetuan domini utilitatem super statu bonorum & Capituli dominio, quod controvertebatur ab eadem oppositice ejusque auctore & Fisco Regio contentibus de istorum bonorum feudalitate.

In ea enim questione, quam in fideicommissario, marito, & aliis similibus tractant Doctores, super repetitionem expensarum in litibus, quicquid aliqui varient, ea est communis & recepta distin^{tio}, quod aut lites fuerunt super pertinentia & prælatione inter plures ex eadem investitura vel dispositione venientes, & inter se contendentes, & quia lis non perevit substantiam fideicommissi, sive dominium & perpetuan utilitatem domini, hujusmodi litium impensæ non repetuntur.

Autlites fuerunt circa ipsorum bonorum statum & substantiam, ita ita ut malus litium eventus causasset domino directo, vel fideicommisso perpetuum præjudicium; & econtra bonus eventus causer perpetuam utilitatem. Et tunc nisi agatur de levibus & modicis impensis commodè cum frumentis supportandis, vénient appellatione melioramentorum, & sunt reficiendæ Molina de primogen. lib.1. cap. 27. num.11. Garz. de expens. cap. 16. num. 36. Resenthal. de feud. cap. 10. & 24. Salgad. in labyrinth. part. 3. cap. 9. numer. 19. Gregor. decis. 197. num. 4. & sequen. Add. ad Buratt. dec. 401. num. 17. Romana fideicommissi seu Salviani 23. Iunii 1653. ceram Abergato, & in aliis frequenter.

Et sic Julius, vel ejus heredes in casu devolutionis, justè prætendere poterant magnas expensas in summa plurium millium scut. passas & patiendas in gravissima & diuturna lite substantia cum Regio Fisco, & oppositrice, ejusque auctore, non sufficeret sua pertinencia & prælatione, sed super substantia emphyteusis, & qualitate bonorum, quæ per Fiscum & adversariam negato Capituli dominio, prætendebantur feudalia.

Hinc propterea, neglexitis etiam omnibus rationibus congruentia & gratitudinis, atque attenta solùm stricta ratione utilitatis & majoris interesse, indubitatam esse insinuabam, magis expedire, Capitulo facere renovationem Antonio de consensu Julii propterea remittentis dictas expensas, quæ facere novam concessionem alteri pertinet cum solo augmento scut. 25. quod utique præponderare non poterat oneri refractionis dictarum expensarum.

Neque in dicta utilitate metienda, modo aliquo habenda erat ratio oblationis, quam dicta oppositrix faciebat solvendi canones decursos, quia cum ipse ejusque pater, cuius eadem erat hæres, possederint bona, & fructus percepérint, remanebant canonum debitores certi & indubitati, ac propter red offerebat id quod debebat, & ad cuius solutionem etiam sine investitura urgeri poterat, ita ut sponso puncto feudalitatis, Capitulum posset facilimè eas recuperare; Nec aliquam legalem vel naturalem rationem subesse dicebam, quæ suaderet, ut extraneo offerente domino directo solutionem proprii debiti, agnatus petens renovationem esset obligatus offerre illud idem, quod ab alio inventur volente solvere debitum proprium, quia oblationis utilitas non provenit ab investitura, cum sine illa adhuc debitum extet, & solvi debeat.

Et ex his constare dicebam, quod ex stricta ratione justitiae & cum evidenti Ecclesiæ utilitate, magis congrua videbatur oblatio Antonii cum canone scut. 50. quæm oppositrici cum illo fecr. 75. Multò magis accedentibus aliis rationibus, gratitudinis, honestatis & congruentia, quæ relinquebantur pensanda pietati, ac summa Religioni Capituli; Et juxta præmissa, discussio negotio inter ipsos Canonicos, inter quos plures aderant Juris Consulti insignes, capta fuit resolutio Antonio favorabilis executioni demandata.

ROMANA CASALIS VETERIS

PRO

PRINCIPISSA RUCCELLÆ
DIANA VICTORIA,

CVM


MONASTERIO S. PETRI
AD VINCULA.Casus decisus per Rotam pro Monasterio,
postea sponitus per concordiam.

Facta concessione emphyteutica ad tertiam generationem masculinam, An talis concessio convenire possit filiæ sceminiæ ut potè descendant à masculo, ita ut verbum generationis masculina sufficiat verificari in persona generante, quamvis non verificetur in persona generata, vel potius in ultraque generatione activa & passiva requiratur qualitas masculina.

SUMMARIUM

- ¹ Acti series.
- ² F Verbum generationis masculinæ duplicum habet significationem activam & passivam.
- ³ Quod verbum generatio masculina possit convenire fœmina.
- ⁴ Quilibet duas constituit generationes, unam masculinam, alteram fœminum, & quomodo.
- ⁵ Declaratur opinio volentium sub generatione masculina non venire fœminas.
- ⁶ Ex quibus contractus censeri debeat potius locutionis quæm emphyteusis.
- ⁷ Resolutio causa, & de ejus ratione.
- ⁸ Usus loquendi satùs attendendus pro regulanda voluntate.
- ⁹ Non implicat esse locationem, & restrictam ad solos masculos.

Joannes Baptista Victorius



DISC.